

1440 magnipotens cæteris urbibus fidei præbuit exemplum, futu-  
ræ victoriae omen in auream Diyi Marci ædem, ubi ho-  
die quoque visitur, publico nomine intulit. Nec Conta-  
renus interim & Brunorius in tanta occasione cessarunt:  
sed subito ex Turbulis terra & aquis Ripam adorti, op-  
pidum pertinacius defensum vi capiunt, captumque hosti-  
liter diripiunt. Sævitum aliquanto acerbius in oppidanos,  
atque in omnem pene injuriam itum, quia plus quam ho-  
stes crediti sunt habuisse Venetum nomen invisum: abdu-  
cti pueri ex parentum complexibus, constupratæ virgines,  
matronæ cum ipsis viris miserabiliter vexatae. Nec ita mul-  
to post Gardam quoque Venetus recepit, quam, ut antea  
Ripam, direptam, a quibusdam proditum est memoriae:  
alii nulla majore clade affectam dicunt. Post Gardam Bar-  
dolinum, Lagisium, & alia multa loca lacui adjacentia  
recepta: quæ non ultro imperium recepere, diripienda sunt  
militibus data, a reliquis omnino temperatum. Dum hæc  
Contareni auspiciis in Benaci ora geruntur, jam Sforcia  
ad Minervium castra admoverat: ubi, audita (ut Pasius  
ait) Borsii Æstensis ad hostes defectione, ac multa ho-  
stium millia in Brixensi esse, & Gonzagam hostem acer-  
rimum cum ingentibus copiis ad Marmiolum venisse, ut  
a fronte a lateribus suos infestarent, anceps aliquandiu  
substitit, deberetne Mincium transmittere. Quod quum  
fecisset, apparebat omnino per summum certamen Brixiam  
sibi eundum: sed cura imprimis alendi exercitus (nam  
ad viginti hominum millia in Venetis castris erant) illius  
animum incesserat. Ne quid igitur temere fecisse videre-  
tur, rem ad legatum & reliquos ductores detulit; eosque  
identidem monuisse dicitur, ut secum diligenter reputa-  
rent, quantum facinus adorirentur, quando, flumine supe-  
rato, per tot hostium millia Brixiam perveniendum esset;  
ne, quod nollet, si quid adversi accideret, dicerent post-  
ea, *Non putavimus*. Erat tunc Paschalis Maripetrus in ca-  
stris legatus. Is, *Nec meum est*, inquit, *Sforcia*, nec cu-  
jusquam eorum, qui, te duce, *Veneta sequuntur signa*, ulla-  
tibi belli leges præscribere: sed te, qui *Imperator es*, qui-  
que

*Veneta co-  
piæ, Mincio  
trajeclio,  
omnia Bri-  
xiensis agri  
loca reci-  
piunt.*